

erant luteri in templo, sed in atrio sacerdotali, ad dexteram tamen, atque sinistram templi partem dicuntur constituti, quia dextra illius, vel sinistra latera respiciunt. Mare autem æneum illam sacerdotalis atrii regionem occupavit, quæ orientem spectat ad australe tabernaculi latus.

VERS. 40. — FECIT QUOQUE HIRAM LEBETES, ET SCUTRAS, ET HAMULAS, ET PERFECIT OMNE OPUS. Lib. 2 Paral. c. 4, v. 16, alia numerantur instrumenta, et vasa, quæ ad varios sacrificiorum usus erant necessaria, creagræ videlicet, et phialæ. Sunt autem lebetes vasa, in quibus victimarum coquebantur carnes, ut ollæ, chytrapedes. Scutra genus est vasis profundæ et circularis. Unde scutella diminutivâ formâ derivatur. Hamula vas est ad ferendam aquam, seu vinum, cujus erat usus in sacrificiis, alii amulam dicant sine aspiratione; Latini vocant urceolum, quales videri possunt illi, quibus ad sacrum Missæ aquam et vinum ministramus. Hebr. מִזְרָאֵץ *Mizrac* à radice, quæ spargere significat: unde vas videtur esse sparsorium, non tam ad continendam, quam effundendam aquam, quod erat in re sacrificali frequens. Translatio Hispanica *Regaderas* vertit. Creagra uncinus est, seu tridens, quo, ut

tulisse, ut offensionem suam duris ad sacerdotem idololatram increpationibus significaret; quin et inquinatam aquæ illius contactu vestium partem statim absciderit. Verum successu temporis, operæ pretium visum est, morem hunc superstitionibus profanis purgatum consecrare, atque in sacrum Christianorum ritum convertere. Hinc vasa puro latice plena in aditu templorum nostrorum constituta sunt, ut aquâ illâ Christiani os et oculos lavent: fontes etiam in eum usum, si fieri posset, eò deducebantur. Denique mos invaluit, ut ante solemne officium lustrali aquâ aspergantur qui adsunt, ut intelligant quantâ animi munditiæ ad preces et sacrificium accedendum sit.

(Calmet.)

Allegor. et tropolog. luteri decem idem significant quod mare ænetum, nimirum multiplicem et crebram poenitentiam, quâ in hac vitâ fragili ob multiplices lapsus et labendi pericula indigemus. Quadraginta huius, quos singuli luteri capiunt, significant dies 40 quadragesimæ, qui omnes poenitentiae sunt addicti. Cætera vide apud Eucherium, Angelomum et Riberam lib. 2 de Templo cap. 19, qui minutim singula applicant.

Primus hoc seculo poenitentiae sacramentum negavit et sustulit Martin. Lutherus; quare ipse non fuit luter, nec lotor, sed luteus et lutulentus, imò pollutor et profanator sacrorum, utpote suis poculis, ventri et Veneri totus indulgens, iisque corpus et animam conspurcans, quasi *sus lota in volutabro luti*, ut ait S. Petrus Epist. 2, cap. 2, v. 22.

(Corn. a Lap.)

ipsa Græci nominis notatio indicat, ex ollâ, seu lebete carnes extrahuntur. Phiala vas erat latum et amplum, ad excipiendum victimarum sanguinem. (1)

VERS. 42. — COLUMNAS DUAS, etc. Hæc omnia usque ad versum 46, supra à nobis explicata sunt: neque enim hic aliquid habemus aliud, quam rursus revocata, quæ hoc ipso capite fuerant tradita, atque explicata fusiùs. Tantùm additur ad finem v. 45, omnia quæ ad sacros usus templi fuerant ab Hiram magno artifice fabricata, fuisse ex aurichalco. Alia enim quæ ex argento, et auro conflata, seu cæolata fuerunt, ab alii videntur artificibus fuisse elaborata. Cùm hæc eadem repetuntur l. 2 Paral. c. 4, v. 16, hæc omnia vasa facta esse dicuntur ex ære mundissimo. Ubi notandum obiter hoc c. 4, l. 2 Paral., Hiram patrem appellari Salomonis. *Omnia*, inquit, *vasa, fecit Salomoni Hiram pater ejus in domo Domini ex ære mundissimo*. Et paulò ante c. 2, v. 13, pater etiam appellatur Hiram regis Tyri. *Misi*, inquit rex Tyri, *virum prudentem, et scientissimum patrem meum*. Id autem non fit contra idiomatis Hebraici consuetudinem, juxta quod ille nominatur pater, qui in aliquo genere princeps et magister est, quemque in aliquo opere præstando alii ducem, et auctorem, aut magistrum sequuntur. Sic Joseph. Gen. 45, v. 8, patrem se appellat Pharaonis, quia illi in re frumentariâ ducem se præbuit, et auctorem: *Dei voluntate hinc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis*. Et lib. 4 Reg. cap. 16, v. 12, rex Israel Elisæum prophetam patrem appellavit. Et iterum ab alio rege Israel pater est appellatus cap. 15, v. 14. Et Jabaël Gen. cap. 4, v. 20, pater fuisse dicitur habitantium in tentoriis, id est, qui modum illam vivendi rudioribus illis seculis ostendit, et ibidem cap. 21, frater ejus Jubal eandem ob causam pater vocatur canentium in citharâ et organo. Vide quæ diximus lib. 1, cap. 10, v. 12, ad illud *Et quis pater eorum?* Cùm ergo hic Hiram, et regi Tyri sibi cognomini prius, et deinde Sa-

(1) VERS. 41. — FUNICULOS CAPITELLORUM... DUOS, ET RETIACULA DUO, UT OPERIRENT DUOS FUNICULOS, QUI ERANT SUPER CAPITA COLUMNARUM. Nunquam hucusque sermo incidit de *funiculis capitellorum columnarum*; et voces textus Hebræi designant tantum *rotunditatem capitellorum*, vel ipsa fortè capitella, rotundæ, ut alibi demonstratum est, figuræ. Duobus retiaculis tegebatur rotundum illud capitellum, iisque totam undique ambiabatur. Ita textus ad litteram: *Fecit columnas duas, et capitella rotunda, quæ erant super capita columnarum, et retiacula duo ad operiendam duo hæc capitella*. (Calmet.)

lomoni in eudendo atque conflando ære, dux et magister fuerit, jure optimo juxta illius regionis et temporis consuetudinem, illorum pater appellari potuit. (1)

VERS. 46. — IN CAMPESTRI REGIONE JORDANIS FUDIT EA REX IN ARGILLOSA TERRA. Qui aliquid opere fusorio ex ære conflare vult, ex terrâ tenaci atque argillosâ formas sibi fingit, quæ æs jam liquatum igne infomet atque fingat. Sed ingentia vasa, aut moles, quales sunt grandia ex ære campano cymbala, tormenta muralia, æreæ columnæ, et talia vasa, qualia hic pro Salomonis templo conflavit Hiram, nisi in defossâ terrâ fundi non possunt. Quare qui ex ære fusili magnum aliquod opus moluntur, non satis habent ex tenaci cretâ formas fingere, sed illas etiam infodiunt, et argillosâ terrâ circumfundunt, ne vis æris colliquefacta dirumpat formas, quod facillè contingeret, nisi circumfusa terra esset ejusmodi, ut potius igne ad firmitatem duresceret, quam solveretur, et in rimas dehisceret.

VERS. 47. — PROPTER MULTITUDINEM AUTEM NIMIAM NON ERAT PONDUS ÆRIS. Subit hic illud Claudiani Paneg. 5 Stilph., quo maxima significatur argenti copia:

..... Si solveret ignis,

Quas dedit immanes vili pro pondere massas, Argentii potuere lacus et flumina fundi.

VERS. 48. — FECITQUE SALOMON OMNIA VASA IN DOMO DOMINI ALTARE AUREUM, ET MENSAM, SUPER QUAM PONERENTUR PANES PROPOSITIONIS, AUREAM. Sicut opera, quæ fuerunt in sacerdotum atriis, fuerunt ex ære, aut aurichalco, sic quæ in domo Domini tam in exteriori, quam in interiori conclavi, fuerunt ex auro. Primum altare, quod thymiamatis appellatur, quia in illo quotidie varia cremabantur aromata; quod ideò etiam Lucæ cap. 1, altare dicitur incensi, et à Græcis θυμιατήριον, et à nonnullis thuribulum. De hæc enim mensâ accipiunt illud ad Hebr. cap. 9, v. 4: *Aureum habes thuribulum*. De hoc altari habet Exod. 30, ubi multus illius usus et forma describitur. De quo nos pluribus in cap. 41 Ezechielis. Neque de illius materiâ ac formâ aliquid nobis hic dicendum, cùm ex supradictis locis satis fusè ac manifestè constet. Dubitat Abulens. c. 6, q. 17, an

(1) VERS. 45. — DE AURICHALCO ERANT. Aurichalco apud Latinos est æris genus, admixtum aurum continens. Sed ex Plinio discimus, genuinum *aurichalco*, vel *orichalco* erui è fodinis purum, plurisque quam optimum quodcumque æs haberi. Hebræus fert: *Ære terso, mundo, purgato*. (Calmet.)

altare thymiamatis illud idem fuerit in Salomonis templo, quod fuerat prius in tabernaculo positum à Moysè, an verò fuerit totum à Salomone perfectum, et ab illo diversum; ubi statuit altare, quod fabricatum est à Moysè, inter alios domus sacræ thesauros, esse repositum, et aliud à Salomone constructum, ubi de more quotidie cremarentur aromata. Quod ideò probat, quia altare Salomonis erat è cedro, altare verò Moysis de ligno settim. Adde quòd illud Mosaicum altare intra Sancta sanctorum videtur inclusum: sic enim indicat Paulus ad Hebr. 9, v. 1: *Post velamentum autem secundum tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, et arcam*. Et hic locus non obscure docet, ubi fecisse dicitur Salomon altare aureum. Et lib. 1 Paralipom. cap. 28, vers. 18, pro altari illo dicitur aurum relictum à Davide: *Altari autem, in quo adoletur incensum, aurum purissimum dedit*. Cum Abulensi sentiunt plerique interpretum, Lyra 5 Regum cap. 7; Barradas tom. 2, lib. 3, cap. 19; Villalpandus in cap. 41 Ezechielis; Pineda in Salomone prævio lib. 5, cap. 25. Petrus Comestor, dùm ait altare Mosaicum in Sanctis sanctorum, id est, in domo interiori fuisse servatum; cùm tamen constet in exteriori esse altare thymiamatis. Oppositum tenet Azorius tom. 1, lib. 6, cap. 46, et Ribera lib. 2 de Templo, cap. 8, qui aliorum rationibus non omnino malè respondet. Neque mihi posteriorum cogitatio displicet, neque deerat quod præterea ad aliorum fundamenta afferri posset non infirmum. Sed placet magis prior, communiorque sententia, quæ diversum facit Mosaicum altare ab eo, quod fuit Salomonis operâ constructum, et modus dicendi Scripturæ in illam cogitationem multò magis propendet. De hoc altari latè Ribera lib. 2 de Templo, cap. 8.

ET MENSAM, SUPER QUAM PONERENTUR PANES PROPOSITIONIS. De hæc mensâ satis actum est copiosè et apertè Exod. cap. 25. Quod ad materiam spectat, erat ex lignis settim, et aureis tegebatur laminis. Quod ad formam, erat duobus cubitis longa, lata uno, alta uno ac semisse, quæ ad superiorem partem duplicatâ coronâ cingebatur, utraque aurea; illius usus erat, ut in eâ panes collocarentur propositionis, duodecim videlicet, seni in duobus ordinibus digesti: quibus duæ imponebantur phialæ thure plenæ, quæ et panes continerent, et illi panum propositioni aliquid præterea venustatis adderent.

Tempore Moysis una tantum fuit mensa, sicut unum etiam candelabrum; in templo verò decuplò fuere plures, sicut etiam candelabra. Ut enim tabernaculum erat angustius, et ex uno in alium locum quotidie transmatabile, non oportuit tot onerari rebus, quas neque loci caperent angustia, neque commodè possent Levitarum humeris portari. At cum templum esset longè capacious, neque aliò illius vasa atque instrumenta transferenda, esse hæc potuerunt et plura numero, et pondere graviora. Hæc porrò ex præcepto patris, imò veriùs ex præcepto Domini, à quo David templi formam, et singularum rerum modum, atque numerum accepit, à Salomone comparata atque perfecta sunt. 1 Paral. cap. 28, v. 19. postquam instrumenta omnia, et quæ ad templi ministeria, atque ornatum pertinent, numeravit, dixit David Salomoni filio: *Omnia venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris*, et ibidem v. 16, de Davide dicitur: *Aurum quoque dedit (Salomoni) in mensas propositionis pro diversitate mensarum*. Quas numero decem conflavit Salomon 2 Paral. 4, v. 8: *Fecit mensas decem, et posuit eas in templo, quinque à dextris, et quinque à sinistris*. Neque illas vacuas à panibus esse voluit, quemadmodum unam mensam, quæ ad illud usque tempus tantum in tabernaculo fuerat, nullus dies vacuum vidit à panibus. Ibidem, versiculo 19: *Fecitque Salomon mensas, et super eas panes propositionis*. Hic porrò per synecdochen una ponitur mensa pro septem.

Panis propositionis ideò dicitur, quia ibi semper erant propositi palam, neque licebat illud oblationis genus unquam omiti. Qui Hebraicè dicuntur panes facierum, quia ante faciem erant Domini, nimirum ante portam interioris domus, ubi Deus præcipuè quodammodò in propitiatorio et in cherubinorum medio sedebat.

VERS. 49. — ET CANDELABRA AUREA, QUINQUE AD DEXTERAM, QUINQUE AD SINISTRAM CONTRA ORACULUM EX AURO PURO. In tabernaculo Moysis unum tantum fuit candelabrum, quod optimè Exod. cap. 25, à v. 31. Neque ad hoc usque tempus plura fuerunt in tabernaculo candelabra, ut docet aut indicat illud lib. 1 Reg. c. 5, v. 5: *Lucerna Dei antequàm extingueretur*. Si quando verò sub illud tempus plures dicuntur in tabernaculo fuisse lucernæ, non plura dicuntur esse candelabra, sed quia septem in candelabro lucernæ sculpebantur, in plurali

significantur numero. Quomodò illæ lucernæ noctu tantum lucerent, et sub auroram extinguerentur, diximus ad locum lib. 1 Reg., de quo proximè. At Salomon sicut decem pro panibus propositionis conflavit mensas, cum priùs esset una, sic modò ad similitudinem Mosaici candelabri decem conflavit candelabra, quorum singula septem instruxit lucernis, quæ temporibus à lege constitutis arderent. Hæc porrò candelabra contra oraculum posuit, et ex oraculi, nempe regione, quæ medium amplectebantur altare thymiamatis.

ET QUASI LILII FLORES. His verbis intelligimus hæc candelabra ad Mosaici similitudinem fuisse perfecta. Et licet liliorum hic tantum audiatur nomen, tamen non est incredibile habuisse quoque calamos, et scyphos, et sphaerulas, quæ omnia ex candelabri stipite, sive hastili procederent. Id sanè indicat illud 2 lib. Paralip. cap. 4, v. 7: *Fecit autem et candelabra aurea decem, secundum speciem quæ iussa erant fieri, nempe Moysi*. Neque enim si alia esset à Deo candelabrorum forma tradita Davidi, illam Scriptura sacra tacuisset, quæ aliorum instrumentorum partes tam minute persecuta est.

VERS. 50. — ET FORCIPES AUREOS, ET HYDRIAS, ET FUSCINULAS, ET PHIALAS, ET MORTARIOLA. Hæc instrumenta varios habent usus in templi ministerio; quia tamen obscurum est quid propriè voces Hebraicæ significant, difficile quoque est nosse quis proprius sit illorum usus. Neque alii interpretes in harum vocum significatione conveniunt; imò neque eodem modo sæpè vulgatus interpret aliqui convertit. Nam *iahhim*, quod supra convertit *scrutas*, alibi convertit *forcipes*, *tridentes*, *trullas*, et *mazra-coth*, quod supra v. 40, reddidit *hamulas*, hic vertit *phialas*, et *malcachim*, quod modò *fuscinulas*, interdum *forcipes*, interdum *emuntoria* reddit Hieronymus. Quid Latinæ voces valeant, non obscurum; ubi *Vulgatus mortariola*, Hebræus est *caphoth*, quæ vox volam significat manus; aut concavam manum, à quo nomen sumpsit vas quoddam concavum et parvum, quod alii modò acetabulum, modò cochleare convertunt.

ET CARDINES OSTIORUM DOMUS INTERIORIS SANCTI SANCTORUM, ET OSTIORUM DOMUS TEMPLI. EX AURO ERANT. Hebr. *תפוח* *pot* concavum illud propriè significat, in quo innititur portarum stimulus, et cum illo simul volvuntur portæ. Ex quo ad rem minus honestam ducitur metaphora. Quidam amplius existimant patere vo-

cabulum, et pro eo sumi quod continet, et convertit fores, quales vectebræ, chelonia, ac tandem vectes, et portarum claustra. Hispanica translatio *Aldavas* transtulit.

VERS. 51. — ET INTULIT QUÆ SANCTIFICAVERAT DAVID PATER SUUS, ARGENTUM, ET AURUM, ET VASA, REPOSUITQUE IN THESAUROS DOMUS DOMINI. Cum tantum ex omni metallorum genere in templi fabricam et ornatum impendisset Salomon, plus tamen fuerat relictum, et in reli-

CAPUT VIII.

1. Tunc congregati sunt omnes majores natu Israel cum principibus tribuum, et duces familiarum filiorum Israel, ad regem Salomonem in Jerusalem, ut deferrent arcam fœderis Domini de Civitate David, id est, de Sion.

2. Convenitque ad regem Salomonem universus Israel in mense ethanim, in solemnibus die; (ipse est mensis septimus.)

3. Veneruntque cuncti senes de Israel. Et tulerunt arcam sacerdotes,

4. Et portaverunt arcam Domini, et tabernaculum fœderis, et omnia vasa sanctuarii quæ erant in tabernaculo; et ferebant ea sacerdotes et levitæ.

5. Rex autem Salomon, et omnis multitudo Israel, quæ convenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante arcam, et immolabant oves et boves absque æstimatione et numero.

6. Et intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in Sanctum sanctorum, subter alas Cherubim.

7. Siquidem Cherubim expandebant alas super locum arcæ, et protegebant arcam et vectes ejus desuper.

8. Cumque eminent vectes, et apparerent summitates eorum foris sanctuarii ante oraculum, non apparebant ultra extrinsecus; qui et fuerunt ibi usque in præsentem diem.

9. In arcâ autem non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in eâ Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israel, cum egredierentur de terrâ Ægypti.

10. Factum est autem, cum exissent sa-

giosos usus à Davide religioso principe destinatum, partim in impolitâ et rudi, partim in factâ, cælatâque materiâ. Cum ergo et quod reliquum fuerat sanctificatum esset, et templo jam ante à patre destinatum, noluit illud Salomon ad suos, id est, profanos usus convertere, sed in templi thesauris providè ac religiosè reposuit, ut si aliquando res sacra humanis commodis indigeret, paratum haberet, unde sumeret.

CHAPITRE VIII.

1. Alors tous les anciens d'Israël, avec les princes des tribus, et tous les chefs des familles des enfants d'Israël, s'assemblèrent, et vinrent vers le roi Salomon dans Jérusalem, pour transporter l'arche de l'alliance du Seigneur de la Ville-de-David, c'est-à-dire de Sion.

2. Tout Israël s'assembla donc auprès du roi Salomon en un jour solennel du mois d'éthanim, qui est le septième mois.

3. Tous les anciens d'Israël étant venus, les prêtres prirent l'arche du Seigneur,

4. Et la portèrent, avec le tabernacle de l'alliance et tous les vases du sanctuaire qui étaient dans le tabernacle, et les prêtres et les lévites les portèrent.

5. Le roi Salomon et tout le peuple, qui s'était assemblé auprès de lui, marchaient devant l'arche, et immolaient une multitude de brebis et de bœufs sans prix et sans nombre.

6. Les prêtres portèrent l'arche de l'alliance du Seigneur au lieu qui lui était destiné, dans l'oracle du temple, dans le Saint des saints, sous les ailes des chérubins que Salomon y avait placés:

7. Car les chérubins étendaient leurs ailes au-dessus du lieu où était l'arche, et ils couvraient l'arche et les bâtons qui y tenaient.

8. Et comme les bâtons étaient saillants, en sorte qu'on en voyait les extrémités dès l'entrée du sanctuaire devant l'oracle, ils ne paraissaient plus au-dehors, étant cachés par le voile; et ils sont demeurés là jusqu'à ce jour.

9. Or il n'y avait dans l'arche que les deux tables de pierre que Moïse y avait mises à Horeb, lorsque le Seigneur fit alliance avec les enfants d'Israël, aussitôt après leur sortie d'Égypte.

10. Après que les prêtres furent sortis du sanctuaire, une nuée remplit la maison du Seigneur.